



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 285. Ibi eum videbitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 285. *Ibi eum videbitis.*

Pergit Angelus promittere & affectum videndi Christum promoveri, nuntiando quod ibi (in Galilæa scilicet) eum certo visuri essent discipuli, ad quos mittebantur. hinc festinatione opus, & non sine causa nominavit Galilæum, quia Galilæa Transitum significat, insinuando quod quasi per transitum eum videbunt, hoc est parvo temporis spatio hic in terris, quia & post quadragesima dies sit ascensurus ad patrem in cælis, ibi mansurus donec rediturus in fine mundi iudicare vivos & mortuos & sæculum per ignem quoniam ei uni loco non sit affixus.

Domine aliud desiderium non habeo quam ut possim te in cælo, ubi modo sedes tua est, videre, ibi æternaliter tibi servire, & perfectè laudare, cum hic in terra positus vix queam satisfacere mandatis tuis & meo desiderio. Da gratiam obsecro ut impleatur meum desiderium, ut te semel in cælo videam facie ad faciem, laudando te, & gratias jugiter agendo pro misericordia tua magna nimis in me peccatore ostensa.

§. 286. *Eccc prædixi vobis.*

Quasi diceret Angelus Domini: hoc do vobis in signum veritatis omnium quæ dixi ut ubi videritis Christum Dominum in Galilæa, recordemini non solum verborum eius quæ prædixit quod vellet præcedere vos in Galilæam, sed & mei, quod & ego prædixi vobis tanquam legatus Domini ut sicut illud verum fuit in effectu, ita omnia quæ vidistis & audistis à me circa resurrectionem eius credatis vera, & sic dimisit eas Angelus.

Domine quam multa de te prædicta sunt per Prophetas, Apostolos & Sanctos tuos de mysticis tuis, bonitate, gratia & gloria, credo omnia illa firmiter per gratiam tuam, da in super ut in ea fide cum effectu ad finem vitæ perseverem.

§. 285. *Et exierant cito de monumento cum timore & gaudio magno.*

Piæ mulieres habentes plenam informationem ab Angelo de Christi resurrectione, sine mora & cum festinatione exeunt de monumento nuntiare Apostolis audita & visa credentes, cum timore tamen & gaudio magno timore ne forte aliquorum obliviscerentur eorum quæ Angelus mandaverat nuntiari, & gaudio magno ex consolatione spiritali quam hauserant ex præsentia Angeli, pulchritudine eius & verbis, item desiderio inflammato ad videndum Christum Dominum redivivum.

O quis